



Clerus Sæcularis Et Regularis

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

VD18 13510800-001

§. I. De Cohabitatione Clericorum cum Mulieribus licita, & illicita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75021)

nans Ecclesiasticae immunitati est corruptela, ut sapientis decifum esse à S. Congr. Card. affirmat Pignatell. tom. 2. consult. 44. n. 1. Ad 2. id locum non habet, quando opponitur exceptio concernens aliquid Spirituale, ut hic fit; nam eo casu quiescit potestas secularis, & ad Judicem Ecclesiasticum devolvitur articulus de dubio Clericatus. Ad

3. de quaestione facti in re Spirituali cognoscere Judex secularis tum solum potest, quando illa nihil habet admixtum Juris; nam si admixta sit Juris quaestio, utriusque cognitio ad Judicem Ecclesiasticum remitti debet, ne causarum continentia dividatur. Videatur Lib. 2. tit.

10. à n. 12.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

Honestati Vitæ, cui studere Clerici debent, plurimum repugnat incontinentia, ut Tit. prior. n. 15. vidimus. De hac eisdem reddere suspectos solet cohabitatio,

& familiaritas cum mulieribus; hinc ut à lapsu, & à lapsus periculo, ac suspitione remotiores sint, merito Titulus hic priori subjungitur.

§. I.

De Cohabitatione Clericorum cum Mulieribus licita, & illicita.

SUMMARIUM.

1. Non licet Clerico cohabitare cum mulieribus, præterquam cum ijs, de quibus suspicio incontinentiæ nulla esse potest.
2. Etiam si affines sint, nisi in primo, vel secundo gradu.
3. Consanguineas in 1. & 2. gradu secum habere potest etiam Episcopus.

4. Si suspicio incontinentiæ abfit.
5. Clerici concubinarij non possunt cogi ad abjurandas concubinas.
6. Harum Judex competens de Jure communis est Ecclesiasticus.

Quæritur 1. an, & quatenus Clericus liceat, vel non liceat cohabitare cum mulieribus? R. Regula universalis est, prohibitam esse Clericis cohabitationem in una domo cum mulieribus quibuscunque, de quibus incontinentiæ suspicio esse potest can. interdixit 16. dist. 32. can. oportet 23. & seqq. dist. 81. c. inibendum, & c. fin. h. tit. Trid. sess. 25. c. 14. de reform. Ratio est, quia conversatio cum illis ad lapsum provocat, cum dicantur exurere conscientiam viri secum habitantis, ut loquitur S. Hieronymus relatus can. Hospitalium 17. dist. 32. cit.

Excipiuntur 1. personæ in primo, vel secundo gradu consanguinitatis conjunctæ, ut mater, avia, amita, matertera, foror, nepotis, sive filia fratris, aut fororis; nam cum his, modò personas, suspectas secum non teneant, cohabitare Clericis licet, ut habetur can. interdixit cit. can. cum omnibus 27. & can. feminas 31. dist. 81. c. à nobis 9. h. t. ubi etiam ratio redditur; quia in his naturale foedus (i. e. conjunctio sanguinis) nihil permittit sevi criminis suspicari, cum incestuosam copulam natura abhorreat.

2. Permittitur Clericis habitare in eadem domo cum ijs, quæ de hujusmodi conjunctarum mulierum familia sunt, ut sunt illarum famulæ, & pedisequæ: item cum uxoribus, quas filij eorum acceperunt jam

ordinatis parentibus, sicut etiam cum filiabus, & uxoribus servorum can. cum omnibus cit.

3. Denique non prohibentur in servitium suum assumere, & cohabitare etiam cum extraneis foeminis, si profectioris ætatis sint, honestæ famæ, & extra suspitionem incontinentiæ. Alagona in c. 1. h. tit. Vall. eod. n. 1. Zaf. n. 2. Pirh. n. 3. König n. 4. Wiest. n. 1. & satis indicatur can. interdixit cit. ibi, aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones: quod confirmat communis Germaniæ praxis, & plurium Diocesium Statuta, per quæ assumptio talium in famulatum Clericis permittitur, modò non sit 40. annis minor, & aliàs immunis ab incontinentiæ suspitione.

Quæritur 2. an sicut cum consanguineis, ita etiam cum affinibus cohabitare Clerici licite possint? R. non posse. Patet ex textibus cit. ubi dum Clericis prohibetur cohabitatio cum mulieribus, nominatim excipiuntur consanguineæ, non autem affines: & ratio est, quia constat majus esse foedus, seu conjunctionem naturalem inter consanguineos, quam affines, cum illi per se immediatè conjuncti sint, isti per accidens tantum, sive mediantibus consanguineis conjungantur. Pirh. hic n. 4.

Excipiendæ tamen sunt mulieres in primo gradu affinitatis conjunctæ, v. g. No-

ver-

verca, nurus, aut uxor fratris defuncti: vel etiam in secundo gradu, si alter alteri reuerentiam debeat, uti est uxor defuncti patris, vel avunculi; his enim permittendum videtur, ut cohabitent, si aliunde nulla sit suspicio incontinentiæ; tum quia in his videtur pugnare eadem ratio, quæ confanguineis, quam ob causam in veteri Lege *Levit. 18.* etiam inter tales personas conjunctio carnalis prohibita fuit; tum quia *can. interdixit cit.* Clericis permittitur cohabitatio etiam cum alijs personis idoneis, si suspicio in illis nulla sit.

³ Queritur 3. an licentia cohabitandi personis conjunctis sanguine se extendat etiam ad Episcopos, & alios similes Prælatos Sæculares Ecclesiasticos? Negat Gloss. in *can. legitur 25. V. mea dist. 81.* ubi ait, Episcopum nullam mulierem ne quidem matrem, aut fororum secum habere posse. Consentit Imol. in *c. 1. h. tit. n. 5.* & expressè habetur *Auth. Episcopo C. de Episc. & cler.* ubi Episcopus, si mulierem secum habere probetur, jubetur ab Episcopatu dejici.

Verùm hæc Juris Civilis dispositio, cum sit de materia Ecclesiastica, curanda non est; sed attendendæ Sanctiones Canonice, in quibus cum nulla talis prohibitio reperitur facta Episcopis, & alijs similibus Prælati, ideo dicendum, etsi omnino honestius, & magis consultum sit, ut hujusmodi foeminas conjunctas, non intra domum Episcopalem, sed in domo alia separata habeant, & alant, idque maxime propter alios Clericos cum Episcopo commorantes, casu tamen, quo suspicio incontinentiæ, & scandali periculum abest, licet eisdem posse intra eandem domum, sed in conclavibus distinctis cohabitare matri, & alijs foeminis in primo, vel secundo gradu conjunctis cum ipsarum ancillis, atque pedissequis, Abb. in *c. 1. h. tit. n. 3.* Pirh. *hic num. 5.* Schamb. *n. 2.* nam & olim in antiqua Ecclesia Episcopi, & alij Sacerdotes cum uxoribus suis, tanquam fororibus, in eadem domo, & in separatis cubiculorum mansionibus degebant, easque alebant, ut constat ex *can. Episcopus 6. junct. Gloss. V. sequestratio dist. 77.*

⁴ Queritur 4. quousque Clericis cohabitatio cum mulieribus sibi conjunctis sit licita? R. non aliter esse licitam, quam si periculum incontinentiæ, & ejusdem suspicio ab sit; nam si lubrica, & incontinentis vitæ suspensionem, & scandali occasionem præbeant, etiam illarum cohabitatio, licet aliàs à SS. Canonibus, permilla, Clericis est prohibita, ut rectè monent Abb. in *c. 1. h. tit. n. 1.* Imol. *ibid. n. 1.* § 4. Vivian. in *Ration. V. etiamsi sit mater*, Barbof. *n. 4.* Gonzal. *n. 4.* Val. *hic n. 2.* & constat ex *c. inibendum 1. cit.* ubi etiam ratio datur; quia *instigante Diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem.*

Neque dicas, hoc modo nullum esse discrimen inter conjunctas sanguine, & extraneas; nam adhuc latum discrimen inter has, & illas interjicitur: confanguineæ enim, tametsi juvenes sint, non sunt suspectæ, ideoque cohabitare possunt Clerico ordinariè, & per se loquendo, nisi per accidens adsint tales circumstantiæ, & indicia, ut locus sit suspitioni five propter ipsasmet confanguineas, five propter famulas, & socias, quæ esse cum illis solent. Contrà extraneæ eo ipso solent esse suspectæ, quia juvenes sunt, ideoque cohabitatio illarum prohibita est Clericis Jure Canonico, Abb. in *c. 1. h. tit. n. 2.* § in *c. 9. eod. n. 3.* Pirh. *hic n. 3.* König *n. 3.*

Queritur 5. utrum Clerici Concupinarii, in SS. Ordinibus constituti, compelli possint non solum ad dimittendas concubinas, vel alias personas suspectas, sed etiam ad Juramentum præstandum de ijs non amplius recipiendis? *Rationem dubitandi* facit textus *can. ab isto 9. caus. 35. q. 6.* ubi Clerici in sacris constituti uxores, cum quibus matrimonium sacrilegè defacto contraxerunt, abjurare coguntur. *2. c. ex litterarum 2. qui Clerico, vel vovent.* ubi commendatur Episcopi Cenomanensis prudentia, quod fecerit Subdiaconum, qui mulierem aliquam conjugem sibi copulavit, eandem abjurare. *3. c. ad abolendam 9. de Heretic.* ubi abjuratio Hæresis præcipitur, perjuri periculo non obstante.

Sed clara est decisio *c. Clericos 3. h. tit.* ubi Alexander III. ejusmodi Clericos ad abjuracionem concubinarum, five earum dimissionem cum Juramento de ijs non amplius recipiendis compelli vetuit. Ratio est, quia Juramentum est remedium subsidiarium, quod adhiberi non solet nisi deficientibus alijs medijs æquè commodis, & efficacibus ad propositum finem obtinendum. Talia autem non deficient; nam suspensione, excommunicatione, depositione &c. ad has deferendas compelli possunt: quæ proinde media, cum æquè commoda sint ad eos abstrahendos à scelere, merito Pontifex *l. cit.* abjuracioni prætulit ad vitandum periculum perjuri verisimiliter incurrendi, cum durum sit assueta relinquere, præsertim vitia carnis ob magnam istius fragilitatem.

Neque contrarium probatur ex textibus allatis in ratione dubitandi, *Ad 1. § 2.* dico Matrimonium hujusmodi, sicut consensu temere est contractum, ita dissensu distrahendum *arg. c. omnis 1. de R. I.* nullo autem modo melius constare de dissensu interno potest, quam Juramento delato, & præstito. *Ad 3.* etiam constare Ecclesia debet de deposita Hæresi: unde non est paritas cum nostro casu.

Queritur 6. quis sit Judex competens foeminarum, si delinquant cum Clerico contra decorem Ordinis Clericalis? R. de Jure com-

communi subijciuntur. Jurisdictioni Judicis Ecclesiastici ob sacrilegium, quod ipse cum Clerico peccando committunt. Abb. in c. 2. h. tit. n. 5. Imol. ibid. n. 3. Barb. n. 4. Honor. hic n. 3. Pirh. num. 6. Schamb. n. 3. Patetque ex universali doctrina; nam generaliter, si plures simul delictum committant, omnes ab eodem Judge puniendi sunt, ne continentia causarum dividatur juxta l. nulli 10. c. de Judic. & si Clericus delinquat cum Laico, uterque reus coram Judge Ecclesia-

stico, velut digniore, sortitur forum ratione delicti, ut plures docent apud Menoch. de arbitr. cas. 371. n. 12. & 13.

Dixi, de Jure communi; nam in praxi istud non observatur, cum passim Judices seculares contra mulieres suspectas, & concubinas delinquentes cum Clericis procedere soleant, ut cum Menoch.

cit. advertit Laym. l. 4. tr. 9.

c. 4. n. 10.

§. II.

De Pœnis Clericorum cohabitantium fœminis.

SUMMARIUM.

7. 8. Pœna Clericorum Concubinariorum.

9. 10. Requisita, ut incurrantur.

11. 12. Quinam istis tangantur?

13. Non tenentur fructus Beneficiorum suorum restituere ante sententiam declaratoriam criminis.

14. 15. 16. Nec incurunt suspensionem propriam dictam.

17. 18. Quomodo vitari debeant in Divinis Officijs?

19. An fructuum nomine, quibus privantur, etiam intelligantur Distributiones?

QUÆRITUR I. quæ pœnæ statuta sint Clericis, qui cohabitant cum mulieribus suspectis, aut omnino concubinarij sunt? R. olim diversis cœrebantur pœnis, nec unus, idemque in ijs infligendis semper servatus est ordo. Hodie circa eisdem observanda sunt potissimum Decreta pœnalia Tridentini, ut patet ex Bulla Pij V. edita 1566. ubi Diocesum ordinarijs in Virtute sanctæ Obedientiæ præcipit, ut districtè illa observari faciant. Porro ordo adversus eisdem procedendi describitur à memorata Synodo sess. 21. c. 6. & sess. 25. c. 14. de reform. & est sequens

1. Jubeat eos moneri, & quidem monitione speciali in personam, ut notat Gallemart ad c. 14. cit. n. 2. unde non sufficit generalis per Edictum, aut in Synodo facta, licet aliàs hæc trinæ monitionis vim habeat.

2. Si ita moniti non abstinerint, ipso facto privati sunt tertia parte fructuum, obventionum, & proventuum Beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco pro arbitrio Episcopi applicentur.

3. Si in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, nec secundæ monitioni paruerint, eo ipso amittunt fructus, & proventus omnes, prædictis locis applicandos: atque insuper à Beneficiorum suorum administratione, quamdiu Ordinario videbitur, suspendi debent.

4. Si ita suspendi nihilominus eas non expellant, aut cum ijs versentur jubentur Beneficijs, Pensionibus, & Officijs Ecclesiasticis quibuscunque perpetuò privari, atque insuper ad ea, & ad Dignitates, ac honores quoscunque inhabiles reddi, donec

post manifestam vitæ emendationem eorum superioribus cum illis ex justa causa videatur dispensandum.

5. Si etiam sic puniti, à scandalosis hujusmodi commercijs non destiterint, sed vel intermissum consortium repetant, vel alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas Excommunicationis gladio plectantur.

QUÆRITUR 2. quid requiratur, ut incurrantur, & rectè infligantur hæc pœnæ? R. 1. is, cui infligitur pœna à Trid. taxata, debet esse verè Concubinariorum. Talis esse dicitur ille Clericus, qui concubinam vel dæmi suæ, vel etiam extra illam alibi instar uxoris continuò retinet, & assiduam cum ea tenet consuetudinem. Barb. in c. 4. h. tit. n. 3. Wagn. in c. 6. eod. not. 3. Zypæus hic n. 6. Pirh. n. 13. Unde pœnæ istæ non cadunt in eum, qui simplicem incontinentiam commisit absque qualitate concubinariorum, ut declaratum est à Cardd. apud Joan. Gallemart ad c. 14. cit. princ. & ratio est, quia pœnæ, cum odiosa sint, restringi debent.

2. Monitiones, quæ fieri debent, ad incurrendas, & infligendas pœnas contra Clericos concubinariorum latas, debent esse speciales in personam factæ, ut notavi n. præc. & requiruntur etiam in Clerico concubinario notorio; nam nec iste absque trina monitione prævia Beneficijs privari debet, ut cum alijs docent M. Ant. Genuens. prax. Archiep. Neapol. c. 30. num. 4. Garc. de Benef. p. 11. c. 10. n. 136. Barbof. in c. 4. h. tit. n. 6. Wagn. in c. 6. eod. not. 5. Valens. hic n. 3.

3. Crimen concubinariorum debet esse aut publicum notorietate facti, aut sufficienter probatum per testes; nam si Clericus

C

tan-